



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 9. Terrarum & aquarum elegans diuisio, sphæris expressa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

Sicut & stagna, & lacus plurimi, cum Oceano non conjunguntur, nisi fortè per occultos subterraneosque terrarum meatus, per quos aquæ maris iterum ad fontes, & ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur. Quam ob causam, in Genesi, non dicitur, congregationem, sed congregations aquarum appellavit maria: & maria, non mare, multa eiusdem generis loca receperat aquarum nominavit, ut eruditè annotauit Torniellus.

Eccles. 3.

7.

Augu-
stin. Tor-
niell.
Muudi
die 3.

§. IX.

*Terrarum, & aquarum elegans dignissima,
sphæris expressa.*

Ex his de situ, quiete, ac diuisione, diuulsioneq[ue] terræ disputatis, quæ necessaria sunt, ad hominum in ea habitationem, etiam pulchritudo illius enitescit, quam illi conciliat rotunditas, varietas, fæcunditas. Figura enim terræ est rotunda, hoc est, ut perfectissima, ita & elegantissima, quam projectâ in Lunam umbrâ eclipses ostendunt; & testantur, qui ex Hispanijs, occassum versus, soluentes, immensis itineribus, ad incognitas mundi partes, cursum solis, imitati, per hemisphærium huic nostro suppositum, semper recurua via, nauigauerunt.

Paul.
Burg.
super c. I.
Genes.
addit. I.

runt. Illi enim, per Orientales insulas, tandem, toto terrarum orbe emenso, trium annorum spatio, ad idem Hispaniæ littus, vnde exierant, redierunt. Quia verò non est alia aquæ, alia terræ sphæra, vt tamen contendit Paulus Burgensis, sed unus efficitur ex utroq; elemento globus, in quo terra aquis longè est maior, & cuius centrum est idem cum centro vniuersi; idcirco mira quædam vel ex ipsis aquarium ductibus, & tractibus terrarū varietas existit. Fluuij enim veluti quædam venæ campos intersecant, & riui gratissimo aspectu prata distinguunt; nihilque est aspectu jucundius, quam , ex alta arce, aut monte, tanquam fimbriata peristromata, regiones subpatentes fluminibus discriminatas intueri. Quod vel in exiguis his Mathematicorum globis agnoscere possumus, in quibus illi Europam, Asiam, Africam, Indiam, & totum hunc terrarum orbem, cum lacubus, amnibus, & ipso Oceano delineatum depictumq; curiosorum oculis consueuerunt repræsentare.

§. X.

Amoenus terræ aspectus.
Sed longè inferior est imago veritate.

Si